

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

1570.
168

Jeremie Hoelzlin

PUGILLUS
PENTHICON.



Ψαλ. ρκε.


ΟΙ ΣΠΕΙΡΟΝΤΕΣ
ΕΝ ΔΑΚΡΥΣΙΝ, ΕΝ
ΑΓΑΛΛΙΑΣΕΙ
ΘΕΡΙΟΥΣΙ.

AMBERGÆ,

Typis MICHAELIS FORSTERI,

ANNO M. DC. XVIII.





REVERENDO & CLARISSIMO VIRO

DN. SEBALDO

LUDOVICO DIA-

CONO SENIORI IN ÆDE

Norib, Aegidiana meritissimo,

Socero:

Ornatissimo item, & Doctissimo Viro,

DN. M. VITO LUDO-

VICO, SEBALDI F. LUDI LAUREN-

tiani Norib. Collegæ dignissimo,

Affini;

Viduis mæstissimis

mittit hæc πενθία

Affectus testandi

causâ

JEREMIAS HOELZLIN

εὐθρηνος.

ANNO M. DC. XXIII.



Super obitu

Laudatissimæ Matronæ


MARGARETÆ,

Reverendi & Doctissimi Viri

SEBALDI LUDOVICI,

Conjugis desideratissimæ.

Quædenata est Anno 1617, VIIbris d, 21.



Irabar cæli facies quid pulla, solutis

Nubibus clapsæ quid loquerentur aquæ.

Margaris hinc abiit conjux memoranda Sebaldi:

Funere conjugii vincula rupta pii.

Tam nihil obliquo varia sub tramite Phæbes

Cernitur invictum mortis ab imperio.

Dic solomnituens, thalamo quid amœnius isto,

Quid placidum toto videris orbe magis?

Hic sibi pax propriam construxerat aurea sedem:

Hæc ternæ est Chariti concelebrata domus.

Gratia quin Christi omnipotens ibi dulce pararat

Hospitium veris concomitata bonis.

Verùm ita me novi, laudum ut spacirosa novarum

Æquora defugiens littora tuta legam.

A 2

Emula

*Æmula erat conjux clari pietate mariti,
Ceu sequitur solem lumine luna suum.
Hac veluti scatebra rerum successa remanant,
Cœlitus & veniunt præmia multa piis.
Ergò irrupta novem ferè lustra, jugalia vincla:
A decimo partus redditus unus erat.
Sed quoniam tristes fert casus fellea vita,
Et solet abscondi nube nigrante jubar:
Funera visa duo: at superant tot corpora gentis,
Aone quot Nymphæ carmina monte sonant.
Quod si vera canunt vatum monumenta priorum,
Si caluit solo Penelopæa viro.
Nostra pudicitia major jam laude maritum
Tempore tam longo fovit amore gravi.
Præterea Caje si vixet Margaris ævo,
Hujus erant potius sandalon atq; colus
Sublimi suspensa tholo: vix ulla reperta est
Matribus in cunctis tam studiosa domus:
Vix, quæ fœmineos tanto fervore labores
Hauferit insueta sedulitate potens.
Pulcrius aëreos contexere aranea casses,
Aedificare favos hinc didicisset apis.
Quantum opus, in sobolem mores diffundere honestos
Aut in cultum animos fingere ritè Dei!
Quis labor, aut potius sapientia remige dextra
A Penies scopulis flectere navis iter!*

Plurima

Plurima cū tali jactentur naufraga ponto
Corpora divitiis exonerata suis.
Post superos cavet hoc prudens perrara paratu
Fœmina, & hoc solers efficit uxor opus,
Quæ nec ab insani succensa est flore Lyæi
Amphora, nec fulget vestibus Attalicis.
Tantò tu melior, tibi mater candida, tantò,
Margaris, à cippo gloria major erit.
Omnes egisti quæ vitæ totius actus
Egregiè, & plausus percipis Angelicos.
Salve igitur, salve optati certissima cœli
Hospita, & hæc generi carmina rauca vide.
At tibi, chare senex, veræ pietatis alumne
Unice, quæ læso pectore cura sedet?
Nam licet in lacrymas non diffuis & lamenta,
Ceu nostra hæc, turba debilis ora madent:
Invictumq; licet cingat præcordia robur,
Nec totum admordens occupet iste dolor:
Intereà tacitis tamen hæret in ossibus angor,
Et penitum vulnus languida corda fodit.
Namq; tuos tristi sedavit funere canos
Connubii & rupit fœdera Morta nocens.
Mens tibi plena Deo, sulta hoc tibi cine nostri est
Indiga nil monitus, mens tibi plena Deo.
Quos igitur succos alii miscere solebas
Talibus oppresso casibus, ipse bibas.

200

43

Ipse



*Ipsē bibas Israēlis de fontibus undam,
Ac rapidos aestus pectoris ipse leves.
Sic neq; de cœlo deerunt tibi etesia flabra
Quæ tibi lenibunt, doctē Sebalde, malum.*

• 50

• 50

Honori & memoriae

Speçtatissimæ Fæminæ

LUCIÆ,
Doctiss. D. M. VITI LUDOVICI
Conjugis,

Quæ piè obiit m. Ianuar. Anno 1618.

LYCE, ECLOGA.

Atherias nondum faculas extinxerat Eos,
Nec gelidum teneris rorem decusserat herbis
Buculus insultans, mœstæ loca sola querelæ
Cum petiit rumpi metuens sua carmina Mœris.
Jamq; per horrentes saltus & nota filicta
Diffusus lamenta parat, quæ sæpè jubebat
Præpetibus digitis humiles ediscere myrtus.
Qualis ubi fato bis functæ conjugis Orpheus
Eurydices ægrum solatur pectine amorem,
Pectine cum sylvis rupesq; ferasq; trahente.
Ille canit, rauco resonat murmure rivus.
Prætereà querulis riparum morsibus ipse

Segniùs



Segniùs illapsus flavens miseratur amantem
Pegnesus, sterilésq; volutat mœstus arenas.
Hæcigitur gemitu geminat truncata frequenti.
Quid potius querar? en placida composita quiete
Cuncta silent. Turtur sopita voce doloris
Desinit; æriæ necdum sonuère volantes.
Sola melos suavi condit variamine, sola
Exercet vigiles mecum philomela tenebras.
Quid non incusem miser? annon læta juventa,
Aut pietatis opus, vel honesti pectoris artes
Fusorum teneant properata volumina Parcís?
At nobis, mea chara Lyce, mea sola voluptas,
Vix socio in thalamo trieteris, vix tibi vita
Exacta annorum ter denos condidit orbes,
Cum percussa jaces Lethæo tempora somno.
Sic equidem cum sol sitientes finderet agros
Cassum rore suo vidi demittere florem
Triste caput, mox in fœnum decus ire coloris.
Ergóne abis, triplexq; tui mihi pignus amoris,
Tristes reliquias moriens committis? at illæ
Molle pecus nondum ad virides depellere malvas,
Obice nec riguos possunt restinguere rivos,
Grandia nec niveo mulctralia condere lacte.
Ergóne abis, dilecta Lyce? vultúne decores
Purpurei fugiunt, lurenst tenet omnia pallor?
Lingua sonos vibrans dulces, ah frigida lingua

Nunc



Nunc riget & teneros marcor populatur ocellos.
O quoties reliquam optavi traducere tecum,
Si qua foret, vitam: Sed venti vota tulere
Irrita. Fors humilis sub paupere culmine tecti
Usq; manens, domi porta velut, mihi serà reverso
Struxissesq; focum, & tersisses blanda laborem:
Aut pensi solata moras dulci omnia cantu
Implestes: natos quæ cœli verior alti
Religio mecum docuisses: huic anus olim
Officiosa seni curas morbosq; levasses.
Nunc eadem moriens rapuisti gaudia tecum.
Ac veluti violens abruptis nubibus imber
Undarum immensum vicinis montibus agmen
Præcipitans fata læta ruit, lateq; fragosus
Saxa rotat campis: at pauper multa colonus
Illacrymans nostros, ait, ecce boumq; labores.
Sic mihi, sic mœstis nox condidit una tenebris
Quicquid erat lucis, luctumq; reliquit acerbum.
Nam postquam his spoliis mors imperiosa superbit,
Invitam in lacrymis miserè squalloreq; vitam
Vix trahimus. Non electro quæ purior unda
Vallibus in pressis querula gemmantia signat
Prata fugâ, non graminea me somnus in umbra,
Non juvat è densis avium Symphonia dumis
Versicolor. Quin hæc etiam vocalia fordent
Fila mihi, & stridens defessas lancinat aures

Tibia.

Tibia. Nunc & agris nostris fata tristia livent:
Pro fegete herbosa viridis pro gramine acanthi,
Nudus ubiq; filex fabulosis exstat in arvis.
Tu varios casus dubiaq; incommoda vitæ
Existi, & veteris solatia dulcia fletus
Assiduè poteris, vestitaq; lumine fulges,
Hic, ubi perpetuo camporum ridet honore,
Hibernisq; irrupta animis ciet aura tepores
Frigidulos, stacten exsudat plurima pinus,
Rosmaris & vulgò, & rosei nascuntur odores:
Bruchus abest oleri, congesto farris acervo
Curculio; ignorat tacitus quoq; texta favorum
Stellio: nec molli sub gramine delitet anguis,
Nec lupus insidias clauso molitur ovili.
Absunt & lacrymæ rerum: plena omnia risu:
Mors extincta jacet fractis ridenda sagittis.
O quæ summa dies, quæ fata volentia cœli
Huc fessum è tanto rapiant discrimine rerum?
Intereà hæc tui lacrymas tumulus bibet hospes
Corporis, exuviasq; pothus cumulabit honestas.
Nec non & spargam semper virides amaranthos,
Perpetui desiderii & veracia amoris
Indicia: ac gelidum signabit litera saxum.
Exuit hic quodcunq; Lyce mortale gerebat,
Fidis ut manibus lugentis terna mariti
Tradidit extremum venerandi gaudia lecti,

B

Vtq;

Utq; piam ætherias animam exspiravit in arces.
Sed nunc summa procul rubefecit culmina montis
Aurora, & tempus stabulis excire bidentes.
Ipsa pecus vocat herba, & amœni gratia pastus.

— 050 —
TITUS LAURENTIUS
LUDOVICUS

SEBALDI FILIOLUS,

Qui obiit Anno 1579. II Xbris d. 14.

καὶ προσωποποιῶν.

NE chari, ne fletu oculos turpate parentes,
Neu surgat nimius corde gemente dolor.
Spes ego vestra fui brevis, & peritura voluptas,
Risit risum sæpius ambo meum,

Mirati faciles tantillo in corpore motus

Letitie, cujus caussa parata mihi.

Hospitio exceptus mundi mox fonte sacrato

Imbutus signor sanguine Christe tuo.

Inde tuum balbo nomen cæpi ore sonare,

Portio sacrati quantulacunq; gregis.

Hec mihi erant peragenda, hoc functus munere gaudens

Collegi citius vasa jubente Deo.

Experto nondum, cecinit presaga mali mens,

Hoc quantum sese misceat orbe mali.

Optimus inficitur piceâ contage malorum,

Atq; animos subeunt crimina sæpè pios.

Quas

Quas ego morborum facies, quæ incommoda longæ
Defugiens vitæ cœlica templa peti!
Quare agite & Titi Laurenti, dicite, suavè
Sub mensa ossa cubent: ceterà lætus ago.

CASPARUS LUDOVICUS
SEBALDI FIL.

Qui obiit Anno 1590. II Xbris d. 15.

Tertia cum niveæ coierunt cornua lunæ
Post ortus, harpe hunc mortis adunca metit.
Eheu quam nostræ est omnis capio irrita vitæ,
Migrandum est quando qui locat ire jubet.
Vix ignaram operum malè sueta domuncula mentem
Accepit, sedes destituenda venit.
Criminis hæc veteris stips est, hac nascitur omnis
Lege homo, seu locuples is tenuisve fuat.
Fumi est umbra mera hoc nobis quod degitur ævi,
Atq; sagittæ alis ocyus hora fugit.
Nec refert, quàm producto stet vitæ tenore:
Tempore quin probius vivitur exiguo.
Hæc vitæ nondum tentata ætatula cælo
Pura subit, sancta simplicitate potens.
O te parvæ nimis rerum Caspare beatum,
Cui sua vix nato maxima nata quies.
Mens animi ætherios jam dudum læta recessus
Incolit, ac cæspes corpus amœnus habet.

F I N I S.

Quae ego memoravi facta, quae in
Dignitate tuae salutis scripta sunt
Quaeque sunt in Libris, quae
sub manu tuae cunctis libris

GASPARIUS LUDOVICUS

SEBASTIUS

Qui obiit Anno 1700. M. CC. LXX. d. 12.

Etia cum vires coeque coram luce

Post omnia, hanc hanc hanc hanc hanc

Etiam quum nosse est omnia capitula vna

Etiam quum nosse est omnia capitula vna

Vix tantum operam male facta domum hanc

Accipit, sed et desideranda vna

Criminibus hanc coeque hanc hanc hanc

Legit homo, seu locupletis et tenuis hanc

Etiam est vna hanc hanc hanc hanc hanc

Atque hanc hanc hanc hanc hanc

Ecce reser, quam producit hanc hanc

Tempore, in propius vna hanc

Hanc vna hanc hanc hanc hanc hanc

Tua hanc, hanc hanc hanc hanc

O te hanc hanc hanc hanc hanc hanc

Quia hanc hanc hanc hanc hanc hanc

Alia hanc hanc hanc hanc hanc hanc

Incipit, ac cessat corpus amicum hanc

F I N I S



№ 1996

8

U

ULB Halle 3
 002 063 808



Sh

nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 / 1996 /

U 8 17

M

DX



150.
168

ae Hoelzlin

ILLUS
HICΩN.



IV.M.V

IPONTES
PYΣIN, EN
LIAΣ EI
IOYSI.

ERGÆ,
AELIS FORSTERI,

M. DC. XVIII.

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Inches
Centimetres